

ARTICULUS III.

Quid sint in Deo potentia ordinata, ordinaria, et absoluta?

I. Multi pro eodem accipiunt potentiam ordinatam, et ordinariam, quia ordinatam potentiam vocant, quæ aliquo ordine legis præfigitur, et ordinatur, et quæ sub lege est, ordinaria etiam est. Quare absoluta potentia est quæ lege absolvitur lata a Deo, ut si modo decerneret aliquem damnatum ex inferno eripere, id faceret secundum absolutam potentiam, non secundum ordinatam, seu ordinariam. Et antiqui theologi solum ordinatam potentiam videntur agnoscere, et appellare, et contraponere absolutæ, non autem potentiam ordinariam, ut patet apud D. Thomam hic art. v ad 1, et iii contra gentil. cap. xcixviii, et apud Scotum in 1, dist. xlv, quæst. 1, eo quod omnis potentia ordinaria etiam est ordinata per sapientiam divinam, licet non omnis ordinata est et recta; et sic sub ipsa ordinata comprehendunt ordinariam.

II. Nihilominus tamen recte distinguitur potentia ut ordinata, et ordinaria secundum diversos respectus. Absoluta vero potest dici vel secundum quod absolvitur ab uno respectu, vel ab alio, vel ab omni, si secundum se consideretur, licet in re nunquam possit potentia in exercitio absolvi ab omni respectu. Explico singula. Ordinata potentia dicitur illa quæ subicitur ordini, et regulæ sapientiæ dirigentis, et opponitur ei quod ordinatum non est, sive pure negative per absentiam regulæ, sive privative per carentiam ejus regulationis quæ debetur. Regula autem, et ordo quo ordinatur potentia executiva, est sapientia, et prudentia, seu consilium quo vo-

luntas rectificatur, et executio disponitur. Ordinaria potentia dicitur illa, quæ communi modo, et lege operatur, et contraponitur speciali legi, vel privilegio, vel extraordinariæ dispositioni de re, non ordinationi. Nam etiamsi dispositio extraordinaria sit, est tamen ordinata per sapientiam, quia sapientia, et prudentia diversos ordines, et dispositiones habent, et ipsum dispensare, et specialia privilegia facere, secundum sapientiam Dei ordinatum est. Absoluta potentia, est ipsa vis executiva considerata secundum se absque his respectibus, vel legis communis, vel ordinationis, et dispositionis specialis; et potest præscindere ab uno, vel alio respectu, ab isto, vel illo ordine legis, et determinationis sapientiæ, vel considerari sine ullo ex his respectibus, sed unde secundum se tantum.

III. His suppositis, dicimus quod potentia ordinata est illa quæ operatur secundum aliquem ordinem, et dispositionem seu regulam divinæ sapientiæ sive ordinariam, sive extraordinariam, et specialem: cum enim sapientia divina infinitos rerum ordines habeat, secundum quos potest de rebus tractare, et disponere, licet unum relinquat, et alium assumat, secundum quemcumque operetur, ordinate facit, et per regulas rectas, et prudentes; et sic ordinata erit potentia, quæ id exequitur. Unde si modo Deus crearet novum mundum, novam stellam, aut aliquem ex inferno eriperet, aut quodcumque miraculum faceret, nihilominus secundum ordinatam potentiam faceret, quia hæc omnia regulata sunt per sapientiam divinam.

Secundo, addo quod ordinaria potentia dicit non solum potentiam ordinatam secundum sapientiam divinam, sed operantem secundum

leges communes, et cursum communem rerum, non secundum aliquid speciale, et extraordinarium respectu illius legis communis. Si vero facit aliquid extra has leges communes, ut miraculum, licet faciat ordinate, et secundum dispositionem rationis, recte tamen non facit modo ordinario, et secundum potentiam ordinariam, sed specialem; et sic absolvitur a modo ordinario, recidit tamen in alium ordinem sapientiæ divinæ, a quo dicitur ordinata illa potentia, licet non ordinaria, id est, modo communi, et ordinario operans.

Denique, potentia absoluta dicitur, quæ absolvitur ab his respectibus, seu legibus, et secundum se solum consideratur. Et quidem in re potest absolvi a modo ordinario operandi, et non ut potentia ordinaria, ut cum facit miraculum, non tamen potest in re esse absoluta ab omni ordine sapientiæ divinæ, sed si relinquit unum ordinem, assumit alium; et sic semper operatur in re ut ordinata, quia nunquam potest Deus aliquid in exercitio facere, nisi secundum dispositionem sapientiæ suæ. Potest tamen secun-

dum nostram considerationem intelligi potentia executiva secundum se ut infinitæ virtutis est sine aliquo ordine ad regulas divinæ sapientiæ; sed hoc solum fit per intellectum: in re enim non potest ab omni isto ordine præscindere, dicitur tamen posse aliquid facere secundum potentiam absolutam, id est, non ordinario modo operantem, sed absolutam a legibus communibus, sed secundum aliquem ordinem sapientiæ, ad quod tamen requiritur vis infinita.

Quæ dicit D. Thomas articulo quarto, quod præterita non potest fieri quod non fuerint, satis manifesta est implicatio in littera. Et nos tractavimus hoc in lib. de generatione, quæst. xii, videatur ibi, et Gonzalez hic disput. viii. Res non est difficilis: nec enim docet D. Thomas rem præteritam non posse redire, sed præteritionem ipsam non posse tolli.

Quod Deus possit facere meliora ex parte rerum factarum, licet non ex parte ordinis, et modi faciendi, qui est a summa sapientia, difficultate etiam caret, et sufficiunt dicta articulo secundo.